



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

[Prologus.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



PARS IV.

TRACTANS LIBROS DE ANIMA.

PROLOGUS.



Hæc quarta pars Philosophiæ Naturalis posterior est ordine, prior nobilitate & dignitate, & prima utilitate, dupliciq; fructu; ad speculationem nempe, cum ejus materiæ in omnibus scientiis ingressum habeant; Et ad mores; hæc enim, si quæ aliqua, præstat vulgatum *Nosce te ipsum*, nam ex hoc, sicut loquitur D. Bernardus

Serm. 37. in Cantica: *Mater salutis humilitas oritur & timor Domini.* Unde Serm. 36. sic fuse utilitatem ejus, & mentem suam fusius, sed pulchre declarat dicens: *Volo proinde animam primò omnium scire seipsam, quod id postulet ratio & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus primum est nobis: utilitatis vero, quia talis scientia non inflat, sed humilitat & est quadam præparatio ad edificandum.* Porro ad se humiliandum nihil anima invenire vivacius, seu accommodatius potest, quam si se in veritate invenerit, tantum non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, staturat se ante faciem suam, nec se à se avertere abducatur. Nonne se ita intuens clara luce veritatis inveniet se in regione dissimilitudinis & suspirans misera, quam jam latere non poterit, quod verè misera sit, nonne cum Prophetâ clamabit, in veritate tua humiliasti me? Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratum peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatum, terrenis intricatum curis, carnalium desideriorum face infectum, cacum, curvum, infirmum, implicitum multis erroribus, expositum mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille suspicionibus obnoxium, mille necessitatibus arumnosum, proclivem ad vitia, invalidum ad virtutes. Sic quoque materiam hanc commendat D. Augustinus lib. 2. de Ord. cap. 8. ubi ait: *Duas esse præcipuas in Philosophia quæstiones, unam de Anima alteram de Deo, primam efficere, ut nos ipsos noverimus, alteram ut originem nostram; illam nobis dulciorem, hanc chariorem esse illam nos dignos beatâ vitâ, hanc beatos reddere.* Et revera hæc præstat exacta animæ naturæ consideratio. Sed difficultas nunc est, quodnam sit objectum hujus partis, horumq; Librorum? Alii dicunt Animam secundum se; alii corpus animatum; Ego dimidio

